

Nf. 24.

42
62
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR
JO. HEINRICUS
MICHAELIS,

S. THEOL. D. EIVSDEMQUE ET GR. AC
OO. LINGG, PROF. P. ORDINAR.

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO
ET PROFESSORIBVS RELIQVIS
CIVIBUS ACADEMICIS *br.*

PIAM FERIARVM, MEMORIAE RESVR-
GENTIS CHRISTI DICATARVM, CELEBRATIO-
NEM COMMENDAT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS ET IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, M DCCXXIV.

ACADEMIAE FRIEDERICIANAE

PRO-RECTOR

JO. HEINRICUS

MICHAELIS

S. THEOL. D. P. DIVISIONE ET GR. DE

OO. LING. P. ORDINAR.



P. N. C. M.

DIRECTORE, CANCELLARIO

ET PROFESSORIBUS RELIGIOSIS

CIVIBUS ACADEMICIS

PIAM FERISSIMAM MEMORIAM REVER.

GENITIS CHRISTIDICARUM CEBRARIIS

NEM COMMENDAT.

MACH. M. H. H. H. H.

TYPIS ET IMPENSIS ORPHANOGRAPHICI MDCCCLXIV





I. N. J.



*uscitatus est ad nostris justificationem, qui propter offensas nostras morti traditus * erat, Dominus noster Iesus Christus. Evangelio isto, CIVES ACADEMICI, feriis hisce, quas per gratiam Dei hodie sumus auspicati, Ecclesia usque quaque personabit.*

Vos, O Nostri, agite, agite dum, accingamini attentæ adferendi vobis denuo lætismi hujus nuntii, qui fidei in pectore nunquam veterascit, auditioni. Divinæ gratiæ vestræque salutis thesauros, qui illo in *Evangelio* (ut iterum sacro hoc vocabulo utamur) vobis aperiuntur, offeruntur, traduntur, venerabunda pariter & avida mente accipiatis, immo arripiatis, summoque studio custodiatis. Cœlestes, quas illud continet, veritates sedulo meditemi-

* Rom. IV, 25,

ni, atque huc vos, ut ipsa res loquatur ac testetur, haud frustra vos id accepisse, impigre paretis. Ad vos indies illo digniores gerendos alacriter ardentique vos exerceatis. Denique hoc pacto vos non male, sed bene, & prorsus ex Dei voluntate feriari sentiat, si eo per fidem viuidam enitami, ut vim resurrectionis Christi, cum perpeffionum ejus communione indivulfo nexu conjunctam, vere intelligatis, in eaque toti esse indefinenter studeatis.

Quod ad fundamentum quidem dogmatis de resurrectione Christi, Scriptura Sacra comprehensum, attinet, id vos a teneris didicisse, probeque memoria tenere haud ægre credimus; nec temere speramus, si vel maxime aliqua, ad uberiores illius cognitionem spectantia, vestrum nonnullis non satis in promptu & expedita sint, fore tamen, ut ea facile sermonibus sacris, his diebus publice habendis, unicuique, aures non proterve ab iis avertenti, in memoriam redigantur. In presentia itaque haud nobis id negotii datum esse arbitramur, ut ipsam de Christo suscitato doctrinam tradamus, aut eam multis declarem.

Parænesin vero damus, &, supposita, aut aliunde facile supplenda veritatis fundamentalis cognitione, ad memoriam resurrectionis Christi digne concelebrandam, ejusque uberrimos latissimosque fructus non tantum feriis hinc, sed cunctis vitæ diebus in præpotentis Dei gloriam ferendos, habita officii nostri ratione, paterne Vos, humanissimeque cohortamur.

Id, quod ipse Dominus ait: *Expergiscere, qui dormis, & exsurge a mortuis, & illucescet tibi Christus;* * Unicuique vestrum, haud excitato per Spiritum Dei, neque in virtute Christi resuscitati ambulanti, sed potius dormienti, & quodam quasi veterno peccati laboranti, acclamamus & inculcamus. Haud perperam Erasmus adductis illis Domini

verbis

* Eph. V, 14.

verbis hanc subjunxit paraphrasin: *Lethalis est somnus, immo mors est, obrutum esse voluptatibus hujus mundi, nec attollere oculos ad aeterna veraque bona.* Nec aliter possunt expergisci, nec aliter reviviscere, nisi Christus, mentibus illorum exortus, dispulerit crassissimas ignorantiae tenebras. Ab hoc igitur lethali somno, quotquot eo tenemini (tenentur autem proh dolor! quam plurimi) expergiscamini; ab hac morte spirituali, quotquot operibus carnis dediti estis, (quæsumus vos & obtestamur) exsurgite. Prædixit enim vobis cum Veteris tum Novi Fœderis Scriptura, prædixit ipse Dominus, & post eum gravissime admonuit Paulus, eos, qui talia agunt, nec oderunt ea ex animo, sed amant & confectantur, Christi non esse participes, sed merito audire Satanæ mancipia, nec regni Dei illos fore hæredes, sed in extimas potius tenebras detrudendos. Admoniti igitur, vel nunc tandem expergiscamini, qui sic dormitis, & quorum ita sine sensu ipsa dormit adhuc conscientia, expergiscamini, O miseri! & exsurgatis a mortuis, ut Christus vobis illucescat.

Non ignoramus quidem esse complures, ea scientiæ atque prudentiæ suæ opinione turgidos, ut persvadere sibi nequeant, istius modi excitatione, sive leniori, sive acriori, opus sibi esse. Verum ut tempore Christi, in hoc mundo versantis, præcipuum hoc erat litteratorum & legis peritorum in gente Judaica malum, quod se minime cœcos agnoscerent, ideoque ipsis a Christo dicendum esset: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis, videmus: Itaque peccatum vestrum manet:* * Ita pari ratione gravissimus etiamnum eorum, qui studiis operantur, morbus eadem illa cœcitas est spiritualis. Rectissime autem non nemo ** dixit: "Nihil est mentis cœcitate funestius. Quo enim magis corpori animus antecellit, eo cœcitas animi est ma-
) 3 "gis

* Joh. IX, 41.

** Hieron, Oforius Paraphr, in Jes. edit, Colon, 1579, p. 134.

“gis detestabilis & execranda. Deinde homo, corporis ocu-
 “lis orbatus, quam diu ratione ducitur, non est omnino
 “cæcus existimandus. Id enim ipsum certe videt, se vi-
 “dendi sensum non habere. Itaque ducem requirit, & ba-
 “culum efflagitat, & manibus viam, quam est ingressurus,
 “explorat: Et ne quid offendant, sensim atque leniter in-
 “cedit: Et summa diligentia caver, ne labatur & concidat:
 “At qui mentis cæcitate laborat, cum id ipsum rationis lu-
 “men, quo erat de amentia judicandum, amiserit, non
 “potest ullo modo suam ipsius cæcitatem ratione perspice-
 “re. Tantum igitur abest, ut alicujus ducis atque modera-
 “toris opem imploret, ut se potius ostendet, summamque
 “sibi sapientiam assumat, seque tantis ingenii opibus instru-
 “ctum esse arbitretur, ut facile possit reliquos mortales im-
 “perio suo moderari. Sic igitur ruit, seque in exitium
 “præcipitat, ut non ipse tantum, sed omnes, qui se cum
 “illo jungunt, omnibus ruinis opprimantur. Ut enim
 “nihil est sapientiæ falsâ opinione dementius; ita nihil exco-
 “gitari potest in omni genere pestilentius, reliqua.

Hæc ille quidem ex vero scripsit; Agite vero, Ci-
 ves, hæc perpendite, ipsi vos secundum ea examine, at-
 que eo referte omnia, ut vere expurgamini, ut ipsa re a
 mortuis exurgatis, atque ut per genuinam *pœnitentiæ &*
conversionis viam ipso usu & experiundo cognoscatis, quam
 beatus ille demum fit, qui debito salutis ordine vim resur-
 rectionis Christi per fidem induat, eamque in animo suo
 persentiscat, & quantum is tunc a se ipso distet, cum antea
 temere inflatus de fide in Christum resuscitatum falso glo-
 riatum sit, immo mente profana tandem in crassissimum
 Epicureismum & maxime detestandum Atheismum prola-
 psus, saltem ad huiusmodi lapsum immane quantum im-
 pulsus, pronusque fuerit. Et hæc quidem Vobis dicta
 sunt, qui perverfo vitæ instituto tales vos esse significatis,
 lasci-

lascivientes nimirum in consortio malorum, otii vitia negotiis honestis minime discutientes, neque ad sobriam animæ curam mentem distractam adjicientes, sed ambulantes in tenebris, quo eatis, nescientes, quia tenebræ oculos vestros obcæcarunt. Quis bonam mentem amans, in vos si intueatur, non exclamet? O tempora! O mores! *Hæc fecistis, ait Dominus, & tacui. Existimatis inique, quod futurus sim vobis similis: sed arguam & statuam contra faciem vestram.* Ich vwill euch straffen, und vwill euch unter Augen stellen. *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* * Vobis, quod jam monuimus, vobis hæc dicta & scripta sunt, qui tales estis, quales modo descripsimus. Quæ enim reliquis scribenda essent, excitatis jam ex morte spirituali, & vita ex Deo præditis, ea in ferias Pentecostales, *ἐὰν ὁ Θεὸς θελήσῃ*, reservamus.

Eho dum! percipite vocem, Vos ministerio nostro calamoque suscitantis, Domini; E vestigio surgite; Ex templo *abjicite opera tenebrarum*; ** Vitam capeffite, quam filius Dei vobis per mortem suam & resurrectionem adfert & offert; *induimini eo animi habitu, qui luci vitæque conveniat; ut filii lucis incedite* ***; fugite, fugite consortia qualibet prava****; ne concedite oculis vestris somnum aut palpebris vestris dormitationem. Eripite vos, ut caprea e manu venatoris, & sicut avis e manu aucupis.***** *Haud delectatur Dominus peccatoris interitu.* Eam ob causam suscitatus est JESUS, ut improbi a via sua revertantur, ut vivant. *Revertimini, revertimini a viis vestris pessimis; cur enim moreremini? ****** Cur in æternum periretis? O Adolescentes, Juvenes, Viri, Senes, Discentes Docentesve, & quorumcunque hæc objiciuntur oculis, quare sperneretis istam, directam ad præcavendum animæ vestræ

* Psalm. L, 27, 22.

** Rom. XIII, 12.

*** Ephes. V, 8.

**** Psalm, I, 1, &c.

***** Prov. VI, 4, 5.

***** Esa. XXXIII, 11.

vestræ damnâ, atque ad æternam perniciem vestram præ-
vertendam, admonitionem? Non enim est personarum acceptio
apud Deum, qui reddet unicuique secundum opera ipsius. Afflictio & an-
gustia in omnem animam hominis, perpetrantis malum. Gloria vero
& honor & pax cuius recte facienti bonum.* Ideo Christus & mor-
tuus est & resurrexit & revixit, ut & mortuis & viventibus domine-
tur.** Omnes autem nos manifestos fieri oportet coram tribunali
Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit; congruenter
ad id, quod fecerit, sive bonum sive malum.*** Certus est hic
sermo. Qui crediderit, servabitur, qui vero non crediderit, idque
factis, licet non verbis, declaraverit, condemnabitur, teste
Domino nostro Jesu Christo,**** qui surrexit, & ascendit
longe supra omnes cælos, & rediturus est, ***** ut iudicet vivos
mortuosque.

P. P. in Academia Fridericiana,
ipsis feriis, memoriæ resurrectionis Christi dicatis. Anno
MDCC XXIV.

* Rom. II, 6. II.

** Rom. XIV, 9.

*** 2 Cor. V, 10.

**** Marc. XVI, 16.

Joh. III, 36.

***** Eph. IV, 10, ***** A&.

I, II, c. XVII, 31. &c.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





ACADEMIAE
PRO-
JO. HEI
MICH
S. THEOL. D. EIVSI
OO. LINGG, PR
VNA
DIRECTORE, C
ET PROFESSOR
CIVIBUS AC
PIAM FERIARVM, ME
GENTIS CHRISTI DICATA
NEM COMME
HALAE MAGDEB
TYPIS ET IMPENSIS ORPHANOT

AE
JS
AC



67

67

